

Cap. XV. Rubrica de cognitione cause sive contractus habiti extra districtum civitatis Tergesti et de fideiussione [prestanda in iudicio]. <sup>1)</sup>

Providimus quod, si aliqua questio ventilabitur coram domino 5  
 Tergesti occasione alicuius contractus sive obligationis facte extra districtum Tergesti, dominium quod pro tempore fuerit teneatur et debeat cognoscere audire et diffinire dictam questionem secundum statuta [et] ordinamenta illius terre civitatis vel loci, ubi dicta obligatio contractus sive promissio facta fuerit, si eidem dominio facta fuerit fides de talibus ordinamentis consuetudine sive statutis per instrumenta vel alias scripturas publicas vel per litteras potestatis vel rectorum illius domini vel loci, in quo talis obligatio vel contractus factus fuerit, // sub sigillo ipsius domini, qua fide facta 10  
 200 A procedere debeat ut processum fuisset in loco contractus. ¶ Et si questio esset inter duos forenses, et contractus obligatio sive pactum non <sup>2)</sup> fuerit stipulatum in civitate sive districtu Tergesti, et non appareret dominio de ordinamentis loci ubi talis contractus obligatio vel pactum fuerit celebratum, ut dictum est, dominium Tergesti teneatur et debeat talem questionem audire cognoscere et diffinire secundum formam iuris comunis. ¶ Et si casus occurreret quod aliquis dictorum forensium sentiret se gravatum per dictum dominium, tunc tali scentienti se gravatum dominium teneatur 25  
 respondere et stare sindicatui, prout in statuto sindicatus continetur. ¶ Et si syndici dictam questionem secundum formam iuris expedire non possent infra terminum octo dierum, ut in statuto continetur, potestas qui talem questionem audierit teneatur dimittere suum procuratorem in civitate Tergesti, et 30  
 facere bonam securitatem de tanto quanto questio fuerit et de solvendo, que securitas duret <sup>3)</sup> usque ad quindecim dies sequentes. ¶ Et supradicti syndici dictam questionem diffinire

<sup>1)</sup> Stat. 1365: *fideiussoribus prestandis in iudicio*, <sup>2)</sup> Aggiunta marginale.

<sup>3)</sup> *durat*.